Fragmentarium

[illegible] & inlusores & seductores
[illegible] stra adhererent simoni mago.
[illegible] ia [illegible] qui ipsi erant cum simone mago
[illegible] sermo usque ad neronem
[illegible] uenit. & simonem magum ut adse
[illegible] deretur precepit. Qui ingressus
p[illegible] ante neronem. Et subito
[illegible] tari effigies. ita ut fieret subito
puer. & post hec senior. Altera uero
hora adolescentis mutabatur etate.
& per alias figuras. diaboli ministerio
bacchabatur. Quod cum uidisset nero.
uere dei hunc esse filium estimabat.
Petrus uero apostolus dicebat hunc furem. men
dacem. magum. turpem. sceleratum. aposta
ticum & omnibus que sunt dei aduersarium
ueritatis. nichilque superesse nisi iussu
dei. ut iniquitas panderetur. Tunc
ingressus ad neronem simon magus
dixit. Audi me bone imperator. Ego
sum filius dei. Usque modo petrum qui se dicit
apostolum solum patiebar. nunc quoque gemi
natum est malum. Paulus denique qui &
ipse eadem docet. & contra me
sentit. simul dicitur cum eo predicare.
Quo (i. unde) nisi de interitu eorum cogitaueris
regnum tuum stare non poterit. Tunc
nero sollicitudine cumulatus. festi
nanter ad se eos iussit adduci. Alia
autem die eo tempore cum introissent
ad neronem simon magus. & apostoli christi
petrus & paulus. simon dixit. Hi
sunt discipuli illius nazareni. quibus
non est tam bene ut sint de plebe
iudeorum. Nero dixit. Quid est naza
renus. Simon dixit. Est ciuitas
in iudea que semper aduersum uos fecit.

hec nazareth dicitur. Ex ipsa fuit magister
eorum. Nero dixit. Deus omnem hominem
monet & diligit. tu quare eos persequeris.
Simon dixit. Hominum est enim genus.
qui totam iudeam peruerterunt ne mihi crederent.
Nero ad petrum ait. Perfidi estis ut
genus uestrum. Tunc petrus ad simonem
ait. Omnibus imponere potuisti. mihi autem
numquam. Ipsos autem quos deceperas
per me deus de suo errore reuocauit.
Et cum expertum tibi sit quod me superare
non possis. miror qua fronte in cons
pectu regis te iactes. & putes per artem
tuam magicam christi discipulos superare.
Nero dixit. Quid est christus. Petrus dixit.
Hic est quem hic simon magus se esse adfirmat.
Hic autem est homo nequissimus. & opera eius
diabolica. Si autem uis scire bone imperator
que gesta sunt in iudea de isto. accipe
litteras pontii pilati missas ad claudium.
& ita cognosces omnia. Nero autem iussit
eas accipi. & in suo conspectu recitari.
Pontius pilatus claudio suo salutem.
Nuper accidit. ut quod ipse probaui
iudeos per inuidiam se suosque posteros
crudeli condempnatione puniisse.
Denique cum promissum haberent patres
eorum quod illis deus eorum mitteret
de celo sanctum suum. qui eorum rex merito
diceretur. & hunc se promisit per
uirginem missurum ad terras. Iste itaque
me preside in iudeam hebreorum deus cum
uenisset. & uidissent eum cecos inlumi
nasse. leprosos mundasse. paraliticos
curasse. demones ab hominibus fugasse.
mortuos etiam suscitasse. imperasse uentis.
ambulasse siccis pedibus super undas maris.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.12, 13v – Passiones et Homiliae sanctorum
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-vfyk/5161/49426)